


## DE IGNITABVLO – res gestae patris Caelestis et Sigrídis in Batavia

Ut plerisque locis fit, in Batavis quoque studiorum Universitatibus litteris classicis non nisi theoretice – i.e. legendo tantum – studetur. Insuper, ex compluribus annis condiciones universitatis non omnibus ex partibus litteris humanioribus favent. Quibus infortuniis alii aliter iam mederi conati sunt. Igne novo opus esse videbatur et haec fuit causa cur Adrianus J. Kleywegt, professor academicus linguae et litterarum Latinarum in studiorum Universitate Libera Amstelodamensi (Vrije Universiteit) decrevit sibi ignitabulum quaerendum esse ut nova scintilla subiceretur studiis semi-exstinctis. Ignitabulum igitur patrem Caelestem invitavit, ut materiam studentium nostrorum incenderet. Qui re vera una cum doctrice Sigríde die 14<sup>o</sup> m. Febr. Amstelodamum vel potius Amstelovenum advectus est, ubi post longiores circuitus (propter descriptionem itineris non satis accuratam, quippe quae ab auctrice huius relationis praebita esset) hospites Amstelodamenses convenit. In deversorio Italiano cenam sumpsimus inter colloquia hilaria eademque Latina, ut puer qui cibos ministrabat admiratione captus esset, quod primum omnium Latine loquentes audiret.

Postridie omnibus participibus in oeco quodam aedium Universitatis Liberae congregatis, plerisque ex Universitate Liberā, nonnullis ex Universitate Noviomagensi oriundis, institutio incohata est. Paucis horis post omnes fere prima verba Latina ediderant et universi nunc credebant saltem re vera fieri posse ut homo satis modernus de qualibet re linguā non ita antiquā usus disputaret.

Postmeridiano tempore iter investigatorium mediam per urbem Amstelodamum facturi eramus. Quod reapse nobis contigit postquam difficultates aedium relinquendarum superavimus. Electricitas enim ita disturbata erat ut anábāthra officiis suis vix iam fungerentur (et nos in tabulato undecimo eramus!) et horologia alia alias horas indicarent. Foris autem tempestas nobis tam valde arripit, ut ambulationem periucundam faceremus. In itinere mandata



Institutio «Latinitatis vivae» in studiorum universitate Amstelodamensi Libera die 15<sup>o</sup> m. Febr. a. 1988<sup>o</sup>, die lunae, facta.  
[Photographiae D. de Sigrídis Albert (ae)]

nonnulla nobis exsequenda erant a Mennone et Marco excogitata. Itaque accidit ut paene fures fieremus cum chartulā complicatā deversorii cuiusdam necnon suppositulo (i.e. chartulā rotundā vel quadratā in quā cervesiā apponi soleat) nobis potiendum esset. Horā 17<sup>a</sup> omnes in Universitatem reversi dialogum de amphitheatro et de cīnēmatographēō audivimus quo multa verba nova addisceremus.

Vespere apud Carolinam Fisser eramus ubi Remus diserte locutus est de vita et itineribus Sancti Pauli. Sed minus placuit quod, eheu, subito et ex improvise me rogavit ut locā nonnullā in chartā geōgraphicā quādam indicarem. Topographia est res difficillima, Reme! Sed feliciter accidit, quod paulo post apparuit me nimis brevi staturā esse, quam ut loca altiora in chartā indice tangere possem. Tum professor noster insuperabilis benigne hōc munere me liberavit. Postea Margarita mecum versionem Latinam fabulae musicae de Petro et lupo ab Russo Sergei Prokoviev(o) modis musicis instructae narravit. Insuper praemia eximia Rolando et Rogero, victoribus certaminis quod pars itineris investigatorii erat, data sunt a Mennone et Marco qui ambulationem praeparaverant. Cum autem unā cum Margaritā domum reverti vellem, birota mea prorsus inutilis esse apparuit, quia nullus aër in cantho relictus erat. Pedibus igitur Amstelovēnum revertimus. Postea comperi ipsam quoque birotam evanuisse. Cavete fures birotarum si umquam Amstelodamum veneritis!

Die Martis varios modos salutandi exercuimus. Iohanna, quae rem satis perspectam nondum habebat, ad salutationem humanam patris Caelestis («Salva sis, Iohanna!») breviter quidem, sed ex toto corde respondit: «Hoi!» Deinde multis cum participibus colloquia instituit pater Caelestis, interdum satis ridicula. «Quando Latine cogitare incipies, Ludovice?» - «Non cogito!». Et quid de Iohanne nostro? Qui interrogatus num ad lacunar ascendere vellet, respondit: «Volo, sed non possum». Quare non potes? «Quia humanus sum». Suntne illi qui ascendunt non humani? «Aut non humani aut Lionel Ritchie!» Dialogus satis complicatus insectus est cum Iohannes explicare conaretur Lionel(um) Ritchie cantatorem popularem esse qui in pelliculis quibusdam cinematographicis ad lacunar ascendere videretur. Postea Sigrīdēs et pater Caelestis apōlōgum Grimmianum de Iohanne prudenti dramatice proposuerunt.

Postmeridianum tempus variis ludis dedicatum erat quorum studentes nostri versiones Latinas fecerant. Scriptulis («Scrabble») igitur, tortulā («Twister»), Mnemósyne («Memory»), quadrīgīs («Quartet») lusimus. Insuper ludus Odysseae, ab Empedocle (Emgert Zondervan) excogitatus primum omnium in usum introductus est. Praeterea fuit ludus «Quim Quam Quet» (linguā Batāvā: «Pim Pam Pet»), in quo lusores nomina rerum certarum dare debent quae ab litterā sorte decretā incipiant.

Vespertino tempore pater Caelestis et Sigrides invitati erant ab Elselina Vester, doctrice linguae Latinae, quae cenam optimam praeparaverat. Aderant insuper nonnulli docentes et professores linguarum et litterarum classicarum, alii satis sceptici de usu Latinitatis Vivae, alii iam aliquatenus talis rei fautores. Studentes interea apud Mennonem convenerunt, ubi «Nederlandse Borrel» praebebatur (i.e. Symposium Batavum, ubi potulenta varia praebentur et insuper caseus et farcimenta parvis vexillis Batavis exornata), videlicet ut aequilibrium inter res Latinas et res Batavas conservaretur.

Nihilominus omnes die Mercurii satis vigilantes et alacres horā nonā aderant. Hōc ultimo die tridui nostri exercendi causā telephonemata inter nos habuimus de argumentis diversissimis. Aliā de praesentiā innumerabilium cuniculorum questā est, et opem

professoris et canum venatoriorum petivit, aliã invitationem ad diem natalem amici celebrandum accepit. Alii de amore infelici loquebantur, alii in qualitatem deversorii Sinĩcĩ - ubi vespere cenaturi eramus - inquisiverunt, sed - quod maximi momenti erat - omnes nullo excepto verba quamvis pauca Latine protulerunt.

Meridie variis locis dispersi participes se ad res vespere agendas praeparaverunt neque prius inter nos revidimus quam inter cenam communem in deversorio quod «New San Kong» vocatur.

Post hanc cenam celebratio valedictoria facta est in aedibus quibus Moria nomen, eademque hilarissima. Tot carmina, comoediunculae, fabellae rarissime uno vespere exhibita sunt, opinor. Omnes paucissimis horis aliquid excogitaverant, quod Latine proponerent. Hospites Noviomagenses carmen quod inscribebatur «Laus tridui Latini» cecinerunt. Tirones nostri, studentes primi anni, fabellam ab Adriano conscriptam in scaena egerunt et deinde dialogum ab auctore Graeco Luciano factum nobis recitaverunt, cuius versio Latina a Marco facta erat. Nomine omnium Menno gratias agens patri Caelesti et Sigridi dona Batava eis dedit. Communis quoque cantus institutus est et complura cantica concatenata quae dicuntur, cecinimus.

Cum programma finitum esset, omnibus paulisper inter se colloquentibus Iohannes clāvĩlĩ cecinit. Denique omnes domum revertimus, postquam pater Caelestis et Sigrīdes omnibus valedixerunt.

Sed etiam nunc in Studiorum Universitate Libera si bene auscul-

tas, interdum pauca sed distincta verba Latina audiri possunt et fortasse ĩdem valet in Universitate Noviomagensi.

Hic est effectus ignitabuli. Materia iam fervet. Mox incendium fiet.

INECVLA SLVITER  
Amstelvenensis  
(Amstelveen)

[Amstelvēnum est quasi suburbium meridionale urbis Amstelodāmĩ]



Rogērus(?) - Prof. Dr Adrianus in  
(17.2.1988) scaena constitutus ut  
lupus in fabula.

[Phōtographēma D.cis Sigrīdis Albert(ae)]